

videlicet prepositi et cancellarii optione et communi fratrum consensu iniunximus. Mansos preterea XII, quorum III in Sowinge, III in Aulica cum molendino et decima, III in Hesede cum decima, II consistunt in Herithe, propria pecunie sue impensa iustis et legalibus modis acquisitos iam sepe nominatus noster prepositus ac sacratissimi palatii cancellarius beate Marie virgini nomine ac iure proprietatis contulit ad hoc videlicet, ut annuatim exinde maioris ecclesie canonicis itemque beati Mauricii canonicis ac sancte crucis et abbatibus, qui magnarum festivitatum stationes in cathedrali ecclesia nostra observare consueverunt, in sollempnitate beate Marie Magdalene, que hactenus in ecclesia nostra minus celebris habebatur, sed nunc per dei gratiam ipso preposito nostro ac cancellario devota ac supplici precum instantia optinente debita celebritate percolitur, omnibus in refectorio maioris ecclesie congregatis plenaria refectio debeatur. Separatim vero maioris ecclesie canonici in anniversario obitus sui prefati videlicet nostri prepositi atque cancellarii de collatis eorundem prediorum redditibus consolationem congruam, qualis per hospicia fratribus distribuitur, discretamque portionem in refectorio eodem die percipiant et de eisdem redditibus bis in anno, in prescripto videlicet anniversarii die et in cena domini, centum quinquaginta pauperibus, ut unusquisque constitutam certamque pensionem hisdem diebus tribus pauperibus impendat, post collationem factam in capitulo omnes fratres mandatum in commune persolvant. Hec autem predia, sicut prefata pauperum videlicet usibus annotata, nullo separationis genere seu alienationis modo a custodia et gubernatione maioris ecclesie decani secernantur, sed cum omni suo districto uno tantum possessionis nomine immutabiliter sub ipso dispositore consistent. Et ut hec nostra actio omni in posterum tempore rata et inconvulsa permaneat in virtute dei omnipotentis, hanc nostram donationem et omne constitutum presentis pagine inscriptione comprehensum banni nostri auctoritate firmamus et corroboramus. Ad maiorem quoque rei huius confirmationem libellum presentem subscriptis testium nominibus conscribi precipimus ac trium sigillorum, nostri videlicet ac maioris ecclesie et sepe dicti prepositi nostri et sacri palatii cancellarii, iussimus impressione notari. Nomina vero testium presbiterorum sunt hec: Echardus decanus, Werno, Bernardus, Bertholdus, Suanringus, Ricbertus, Sifridus; nomina diaconorum Otto, Gerlagus, Herimannus prepositus sancte crucis, Eilardus cellerarius, Bruno, Erpo,